

Q. L. 542.31.

II c
1698

FEBRIS,

X1860.172

DIALOGUS

ULRICI AB HUTTEN.

EQUITIS FRANCI &c.

AD LECTORES:

*Exul apud tennes, circumvolat improba FEBRIS;
Claudite jam ventres, claudite, febris adest!
En petit hospitium, venit excipienda potenti:
Expulsam, nemo mandat adire virus.
Nemo igitur febrem ducit, praeludia nemo
Hac dedit: ut placeant hac quoq, nemo rogat.*

BENIGN. SCHICK.

RECUSUS AMBERGÆ,
Per Johannem Schönfeld,

M DC XIX,



105



FEEDER

PLANO

PLANO

PLANO

PLANO

PLANO

PLANO

PLANO

PLANO

PLANO

PLANO





ULRICI AB HUTTEN EQU.
FEBRIS, DIALOGUS.

Interlocutores :

HUTTEN. ET FEBRIS.



UT. Quin tu abis, quã oportuit primo statim die exigere, tam molestam hospitam. Atq; audin? Abi, abi apago! FEBRIS. At ex tua simul humanitate, & veteri Germanorum instituto fuerat, hospitium saltem commonstrare abeuntri. Quankquam te iterum, si fieri potest, oro, ne expellas hoc hyemis, incertam, quò divertendum sit.

HUT. Tibi dico primum, abi; Ad hospitium deinde quod pertinet, Vides hanc portam? per eam descenditur restã.

FEB. Duc me age, verum ad aliquem due voluptarium, divitem, potentem, cui equi sint, ministri, comites, & Familia copiosè, & vestes, & horti, & balnea. HUT. Hospes est hic ipse, ad quem duco, sed non caret his, ac utitur credo. Atq; eccam tibi domum! Agit ibi magno cum comitatu Cardinalis. S. Sixti, Romã huc profectus, pecuniam à nobis ut petat, in bellum contra Turcas, quam insumant Romanenses isti, magno iterum apparatu expeditionem moventes, periti bellatores, obnoxium tibi genus. Age, occupa; Cubat autem in pallã purpureã, supinus, inter cõplura circum aulae, & ex argento cœnat ac auro bibit, ita delicatè, ut neget in Germania esse homines, qui palatũ habeant, Damnatq;

A 2

perdi-

perdices hic & turdos, Italicis abfimiles dicens, ac nihil sa-
 pore respondentes. Nauseat & ferinam, ac panem insipidū
 vocat, ac vinū bibens lachrymatur, Italiam clamans, & Cor-
 sicum invocans. Obq; has imprimis causas Barbariem nobis
 imputat, & ebrios vocat. Nec per quatuor menses, adhuc
 semel appetitui fatisfecit, ganeæ & saporum inopia. F E B.
 Surdæ cantilenam hanc! H U T. Quid? Non aptus tibi ho-
 spes? aut quemquam hic invenies magis principem, cui sic
 inclinent alii, & congenulent? Aut non dignus tibi videtur
 febre? F E B. Etiam Podagrâ. H U T. Quam ob causam non
 placet igitur? F E B. Ille macilentus? Ille gracilis? Junceus?
 & exuceus? Ille obstipo capite? Ille nuper inter fratres, atq;
 adeò caesarios? Novitius Cardinalis? Per reliqua vetus? Ille
 tribus obulis cœnans? Cujus ego cocum redeuntem sæpe à
 foro cum carnis semuncia video? H U T. Invertis omnia. Il-
 le inquam magnificus, ille reverendis. Ille à latere, cujus est
 dominatio, cujus paternitas, cujus clementia. Quem cre-
 dibile est, sordidè vitam degere, cum Germanos satis lautos
 non putet? F E B. Ut vivat ipse, nihil pugno. Me verò quo-
 modo benè habebit, qui suos omneis malè pascit, malè ve-
 stit? Ad cujus ædes ubi compulsassem nuper, & me increpu-
 issent janitor, petiissemq; aliquot ibi dies hospitari, audin' hos
 inquit strepitus? Audio dixi. Erat autem quidam aliquid
 quasi petentium pulsus. Panem, ait, rogant pransi domesti-
 ci. Panem inquam ego? Atq; ita parcè datur hac in domo ci-
 bus, ut ne panis quidem satis apponatur? Ita parcè inquit;
 Tum puluilli non sunt, aut plumæ nullaq; omninò molliti-
 es, præterquam ea, cui se Cardinalis ipse devovit, & in qua
 delitiatur. Verum is maledictionibus adversum te instructus
 est, excommunicaturus, statim, ac latum intrò pedem acce-
 seris. Legatus est enim Leonis Maximi, malè & benè, ut me-
 retur quis, aut ipsa visum fuerit, precari potens. Dictum pu-
 tavi

5

tavi, atque abiens, te inveni benigniorem statim hospitem. HUR. Tùm me tenuius, ut video, cœnare oportuit, quem tu nunquam, si meminero, invenies hos apud sacerdotes, largius epulantem. Verum isti tibi opifices, inepti sunt opinor & ipsi hospites. FEB. Qui me partim inedia procul arcent, partim corporis exercitio longè proturbant. HUR. Ad principum te autem domos, aut illorum divitum quid si adduxero, aut mercatores, atq; adeò Fuccheros tibi si indicem? FEB. Nihil, cinctos omnes turba medicorum inveni accedens aliquando. Proinde & apud ipsos non est locus, due aliò, per meum illud in te vetus beneficium oro. HUR. Per quod tuum beneficium? Quam mihi fictionem narras? Tu autem beneficio afficis, quos habes? FEB. Te omnium maxime. An excidit, octavo ab hinc anno quàm te studiosum, quàm pietati deditum, & quàm patientem te reddiderim, quartana quando adfui, sex non amplius menses? HUR. Immo valde quando cruciabas tu me, ego contrà, tui tēdio, impensius studia colui. Verum agnosco consilium. Ad illum te refers defensorem tuum, qui ista instruxit oratione, quâ uteris apud eos, quibus per risum etiam molestiam accumulās, fingendo studiosos facere te & ingeniosos. Quòd si vera sunt, quæ de tuis ille beneficiis commemorat, quare non itē valentiorē me reddidisti post, cum ille dicat, à quartana qui convaluerit semel, cum restius valiturū post, quàm unquam prius? At ego, tot illos à tuo discessu annos ægrotavi, aliis atq; aliis continuò morbis. FEB. Quia derelinquendi tui consilium haud dum cepi, & tunc quidem, ut mox reditura, abscessi. Nunc verò nisi in aliquid me dignum avertis hospitium, dico tibi, ut propositum est meū, ne adhuc quidem deseram, ac irato etiam adero, totos si videbitur sex aut septem annos. HUR. At ego tribus, ut ille, obulis interdium obsonabo, & abstemius vivam. FEB. At te ego delicatum reddam

reddam, per mei affectionē alia ex aliis ut cōcupiscas. HUR.
 Tunc medicos super induca m tibi, & illum statim magna cū
 fiducia Stromerum. FEB. Ha medicos, ha Stromerū, quasi
 tuos ego ibi mores haud sciam, qui agrotare malis totum li-
 benter annum, quā illud semel aut iterum vorare Rabar-
 barum, aut Hellebori scrupulos duos. Quin illum mihi su-
 perinducis, qui videns avenæ granum in ægri lotio, equum
 devorasse eum putavit. HUR. Quod cavere me oportet,
 nunc autem alios iterum ad hospites traducā. Et quia cum
 voluptariis illis negotium tibi esse dicis, sequere hac me, ad
 illos abimus fratres, molliter per omnia viventes, vel hoc ar-
 gumento, quod obesi sunt, & benè curata cute, tūm jucundè
 vivūt & suaviter, moranturq; intra cellas, rarò ad illud, quod
 obesse tibi video, corporis exercitium obeunt. Bibunt au-
 tem vinum, & elu piscium utuntur intemperatissimè. En te
 dignum hospitium! FEB. Non abducis; Audiunt enim mu-
 liercularum confessiones, & incantamenta discunt, quibus
 vel procul visam me abigunt. HUR. Vin' ad illos igitur Ca-
 nonicos, quibus eadem ista affatim, & copiosus adhuc mul-
 tò adsunt, nisi quod equitant interdum & venantur, exercē-
 di simul & oblectandi sui gratia? Omninò convenire tibi
 existimo, siquidem petis succulentos, & benè pastos aliquos,
 qui opiparè cœnant, molliter cubant, suaviter otiantur, &
 ne quid esse adversum te munimentum suspiceris, securè vitam
 degunt, illis medium digitum ostendentes medicis, quos tu
 nescio quomodo in tantum metuis apud Fuccheros, cum
 plærumq; magis agrotent quibus ipsi adsunt, quā qui, ut
 apud Saxones, sine medicis ætatem degunt. Scilicet medi-
 cos cōtemnunt hi, quos dixi. Præterea supini ut plurimum
 jacent, & in balneis delitiantur, aguntq; convivia creberri-
 mē, & inter scorta ebrii ad multam plerunq; noctē desident.
 Quò fit, ut crudis fiat stomachis, & subinde malè conco-
 quant.

quant. FEB. Est hoc quidem aptum febrigenus, ac digni videntur huiusmodi, quibus quàm diutissimè cohabitè. Sed vereor innumerabiles ne me ibi ægritudines prævenerint, quandoquidem sic vivunt illi. Putas tu aliquè horum enim, morbo haud dùm captum? & quem non occupaverit podagra nuper, aut calculus, aut hydropifis, aut Ischia, aut articulorum cruciatus, aut lepra, aut morbus regius, aut caducus, aut Gallicus, aut pessima quæq; scabies, aut Cancer, aut Polypus, aut Lupus, aut Fistula, aut Angina? Aut qui manibus ac pedibus per multam miser Ebrietatem tremat? Aut laterum dolor quem vexet? aut qui utcunque affectus sit, quò minus febriloeus esse possit? Nam & hæ quas dixi, & aliæ innumeræ pestes, culinam sequuntur, mensas & convivia querunt, ac cum delicatis illis, & pinguibus, habitare gaudent, & ad ferculorum ut ego varietatem, & luxum, agminatim confluent. HUT. Confide, aliqui vacāt enim, iste imprimis Curtisanus, qui nuper ab urbe revertens, cùm apud quendã illic Cardinalem didicisset molliter vivere, in medias se repente delicias coniecit, agitq; per jucundè. FEB. Bibit vinũ. HUT. Perbibit. FEB. Condit pipere, & cinamomo, & zinzibere, & gariophyllo? HUT. Largissimè? FEB. Habet lectos, & tapetes, & culcitrâs plumis suffertas, & cervicalia, & sericum? HUT. Instructissimè. FEB. Tùm pisces edit etiam? HUT. Lurcatur, sed non nisi caros, & magni emptos, amatq; perdices, & phasianos, & si leporem edat, pulchriorem se fieri putat; Jam autem longam hanc hyemem dicit, quâ caret asparagis. FEB. Et lavat nonnunquam? Cupidissimè, & crebrò. FEB. Non avarus est interim? HUT. Profusissimè liberalis. FEB. Negotium est illi cum medicis? HUT. Odit infensè, & Germaniã expellendos putat? FEB. Pellitus est, aut aliter benè vestitus? HUT. Immò ut ille apud Martialem,

Optat


Optat & obscuras luces, ventosque nivesque,
Intet sexcentas Bacchara gauſapinas.

QV
TC
1698

FEB. Vereor, ne me haud diu ſuſtinere poſſit, his moribus? HUT. Id tu videris ſcilicet, quæ cur velles ſtatim ſuſfocare, quem diu tenere poſſis: FEB. Si me delicatè nimis tractaverit! Verùm heu tu, habet Muſicos? HUT. Et paraſitos. FEB. Et ſcortum habet, quod nos curet? HUT. Quoddam molliculum & blandum: FEB. Habet ventrè? HUT. Jam extare illi incipit. FEB. Quod ſi me non accipiat ille, tunc tu quò duces? HUT. Circumducam? FEB. Atte ego circumſcribam? HUT. Atte ego contemnam? FEB. Atte ego jugulabo? HUT. Attibi ego oppedam? FEB. Febri? HUT. Tibi Febri, ſuffragantibus inediâ, exercitio, ſobrietate, & actâ duriter per omnia vitâ. FEB. Tentabo beneficiatum illum, poſt de te videro? HUT. Ut voles, ego me hinc proripio:

F I N I S.

WDM



54231

II c
1698

X1860 172

FEBRIS,
DIALOGUS
ULRICI AB HUTTEN.
EQUITIS FRANCI &c,

AD LECTORES:

*Exul apud tennes, circumvolat improba FEBRIS;
Claudite jam ventres, claudite, febris adest!
En petit hospitium, venit excipienda potenti:
Expulsam, nemo mandat adire virus.
Nemo igitur febrem ducit, praludia nemo
Hac dedit: ut placeant hac quoq, nemo rogat.*

BENIGN. SCHICK.

RECUSUS AMBERGÆ,
Per Johannem Schönfeld,
M DC XIX.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(BMLE)

105

